

W.439.

JOAN. CAROL. VILELM. MOEHSEN,
MED. DOCT. ET GYMN. REG. JOACH. M. O.

DISSERTATIO EPISTOLICA
PRIMA
DE MANUSCRIPTIS MEDICIS,
QUÆ INTER CODICES BIBLIOTHECÆ REGIÆ
BEROLINENSIS SERVANTUR.

DATA AD

VIRUM
ILLUSTREM ET EXPERIENTISSIMUM
CHRISTOPHORUM HORCH,

MED. PHIL. ET CHIR. D. BORUSS. REGIS CONSIL. INTIM. ET ARCHIATRUM,
COLLEGII MED. SUPREMI SEN. COLLEG. SANITAT. ET ACAD.
NAT. CUR. SODALEM.

DIE V. NOVEMB. M D C C XLVI.



BEROLINI,
APUD AMBROSIMUM HAUDE,
BIBLIOPOLAM REGIS ET SCIENT. ACADEMIAE.

Codices MSti in epistola I. recensiti.

- I. MS. Alchymicum SPLENDOR SOLIS vocatum, cum artificiose pictis figuris, membranaceum. In fol. Ling. Germ.
- II. J. C. ENDE Herbarium cum CL. figuris plantarum, in charta excisis, 1681.
4to. Ling. Germ.
- III. Ejusdem idem liber auctior, cum fig. CCXV, in fol. Ling. Germ.
- IV. Codex centum florum in membranis elegantissime pictorum, ab Antonio CARLI. In folio.
- V. Codex manuscriptorum medicorum in membrana, seculi XIII. comprehendens:
I. RASIS librum Almansoris, in decem partes divisum, Latine versum.
Cetera contenta sequentur.





A VO
OPTIMO
CHRISTOPHORO HORCH
RELIQUA
S. P. D.
NEPOS OBSEQUENTISSIMUS
J. C. W. Moehsen.



um præfens leviusculum li-
cet scriptum typis manda-
re meditarer, nulla mihi op-
portunior hora quam Na-
talis
* 2

talis TUI, ad suscepsum consilium
exsequendum, occurrere potuisset.
Hasce pagellas, tanquam natalitium
offerre donum, sincerus meus atque
TIBI devotus animus jussit. Pro-
be enim scio, quot & quanta TIBI be-
neficia debeam, qui me a teneris, ut
ajunt, ungiculis, medicæ rei, svaden-
te sapientissimo PLATONE, LIBRO
III. DE REPUBLICA, adsuevisti. Is
enim medicos a pueritia artem addisce-
re, & cum ægris versari jubet. TU
præterhæc favorem haud vulgarem mihi
ultra demonstrasti. Postquam TIBI, ra-
tionem studiorum in academia, per
dissertationem inauguralem proprio Mar-
te elaboratam, de passionis iliacæ cau-
sis & curatione, reddidi, TU redeun-
tem me, statim benebole excepisti, ac
praxi admovisti; quo Artem Apolli-
neam TE ducente, magis magisque
excolerem. *Optime, inquit* COLUMELLA

de

" de re rustica libro I. Cip. I. Uſus & experientia dominantur
" in artibus, neque ulla eſt disciplina, in qua non peccando diſ-
" catur, nam ubi quid perperam administrationi ceſſerit improspe-
" re, vitatur, quod feſſellerat, **ILLUMINATQUE REC-**
" **TAM VIAM, DOCENTIS MAGISTERIUM.**"

TU PLATONIS consilio antea u-
ſus, hortatore & autore COLUMEL-
LA, docentis vices gerebas. Cum
enim quinquaginta annos, & quod ex-
currit, in praxeos medicæ frequentis-
ſimo exercitio conſumferis, ſæpius
ſermones mecum in ægrotorum ſalutem
conferens, fedulo TUAM per tot
annos acquisitam experientiam, per
dogmata ſalutaria, etiam mihi utiliſſi-
mam fecisti. Quis itaque ſinistra interpretaretur quod nullam occaſionem
prætermittam, qua animum meum
quam maxime TIBI deditum decla-
rare poſſim, TIBI, qui patris & præ-
ceptoris loco mihi ſemper exſtitisti. Mi-
rum vero forſan quibusdam videbitur,

* 3 quod

quod scriptum, ad historiam potius
quam scientiam medicam pertinens, of-
feram. Ratio in proposito est. Homi-
num conditio cum ea sit, ut non in uno
tantummodo objecto semper hæreant,
efficit, ut ægrotorum suspiria, finitis
consiliis in eorum salutem institutis, lit-
teraria medicinæ historia commutarem,
animumque recrearem, cum scripta,
huc pertinentia, evolverem, ac ad ju-
cundiores illius illustrationem, icones
& nummos, in medicorum memoriam
cūsos, colligerem. MEIBOMII enim
verba, quibus quorundam crassam, in
re litteraria hujus artis ignorantiam, fal-
se perstringit, *in præfatione additamentorum ad VO-*
GLERUM, semper mihi curæ cordique
fuerunt. *In medicorum ordine reperiri ait, qui si artis*
sue veteres scriptores nominari perceperint, aves ex India atta-
tas ignotis nominibus recensitas, existimant. Multi cer-
tatum, aliis alio gravius & acrius AES-
CULAPII filios de rei litterariæ incu-
ria

ria accusarunt, horum tamen vindicias
in pertractatione de Medicis Bibliotheca-
rum conditoribus, amplificatoribus, nec
non præfectis, quam prelo paravi, proli-
xius fuscipiam. Medicum, gravissimum
humanitatis studii vindicem, jam expo-
suit doctissimus BURCKHARDUS.
TU, AVE CARISSIME, mihi, histo-
riæ huic operam navanti, indulſisti, &
otium interdum ac confilium dedisti; fas
itaque est, ut **TIBI** de profectibus ra-
tionem reddam. Nihil mihi nunc reli-
quum est, quam **TE**, hodierna luce
octogesimum ætatis annum intrantem,
optimis ominibus prosequi. Verba ex-
quisita me deficiunt, quibus sincera
vota exprimam; itaque quæ pietas erga
avum maximis beneficiis de nepote mi-
rifice meritum, comprehendere valet,
semper & enixe Tibi voveo. Va-
le, senex venerande, & me ama-
re non define.

PRÆ-



PRÆFATIO.

L. B. S.



Graves jam viri in eo desudarunt,
ut historiam Bibliothecæ Regiæ
Berolinensis conderent, ac si-
mul notitiam Manuscriptorum
exhiberent. Si enim ullus librorum manu ex-
ratorum thesaurus, memoriæ prodi meretur,
certe


* (6) *

certe hic, palmam si non omnibus, plerisque
såltem, præripere videtur. Diu jam viri cele-
berrimi HENDREICHIUS, TOLLIUS, LA
CROZE, alii, eruditis salivam moverunt. Re-
quirit vero talis labor, non pectus alienis cu-
ris oppressum, sed ingenium hoc studiorum ge-
nere probe imbutum, imo scientiam polyma-
thicam. Tu itaque miraberis L. B. audaciam
meam, quod opus omnibus bibliophilis præser-
tim medicis acceptum & diu jam desideratum,
infirma ac inexercitata manu adgredi audeam.
Faventem vero occasionem dimittere nolui, sed
arduum opus pro viribus moliri, & illorum quo-
rum interest usui offerre, satius putavi, quam
ea, quæ mihi de Manuscriptis medicis, historiae
naturalis, chimici & botanici argumenti inno-
tuerunt, reticere. Nam Bibliothecam Regiam
studiorum causa, interdum frequentans, scien-
tiæ, cui me dedicavi, amore impulsus, ut me-
dica manuscripta perlustrarem, sæpius enixe op-
tayi. Voti me compotem fecit voluntas VIRI
CONSULTISSIMI ET DOCTISSIMI NEUBUR-
GII, REGIS A CONSILIIS AULICIS, REGIÆ
QUE BIBLIOTHECAE PRÆFECTI, qui superio-
rum concessu dato, illorum copiam mihi fecit,
ut exquisite contemplarer, notatuque digna ex-
cerptarem. Unde factum est, ut ea, quæ in pro-
prium

prium usum antea consignaveram, nunc publici juris facere queam. Licet medica manuscripta tam ratione antiquitatis, quam raritatis, infimum ferre locum in hoc exellentissimo membranarum & codicum adparatu occupent, tamen egregia inter ea quæ in hoc & sequentibus opusculis recententur, reperies, si quidem tenues vires & stilum nondum satis politum catalogum consignantis & commentantis, benevolo animo excipere velles. Variis rationibus sub dissertationum epistolicarum forma, præsens opusculum edidi, partim, quia successivum modo tempus elaborationi impendere potui; partim ut, antequam ulterius pergam, eruditorum suffragia de vel continuando, vel omittendo labore conquiram. Titulos manuscriptorum præmisi, notatique digna adjecti, impressa cum illis contuli, ac eorum discrimen patefeci. Minime vero in hoc primo conatu selectum quæras velim, cum obvia saltem consignaverim. Vale.



I. Das



I.



Das gegenwärtige Büchlein wird genant Splendor Solis oder Sonnen-Glanz, theilet sich in sieben Tractate, durch welche beschrieben wird die künstliche Wirkunge des verborgnen Steins der alten Weissen; wiewohl alles so die Natur erfordert, clärlich zu vollbringen, das ganze Werk in denen begriffen wird, und mit samt allen Mitteln der zugelegten Ding. Noch dann ist sich keinem darauf zu versehen, die Heimlichkeit der edlen Kunst aus eigenem Verstande zu ergreissen.

Hic est titulus manuscripti alchymici, in forma quam in folio dicere solemus. Litteræ atramento in membrana sunt conscriptæ, ac aureis ornatibus interstinctæ. Folia habet sexaginta quinque, partim litteris, partim picturis referta; operimenta holoserico rubro obducta sunt.

A

Codex

Codex cana quidem vetustate non conspicuus, sed recentioris XVI, seculi circiter XVII. incipientis, pictura incomparabili, quæ auro & argento superbit, tam ratione delineationis quam colorum, splendorem floridum egregie conservantium, allicit & recreat oculos. Artificium figurarum alchymicarum solerter est indagatoris & pictoris excellentis. TOLLIUS in epistolis itinerariis p. 45. refert, fuisse inter libros scriptos Bibliothecæ Berolinensis Chemicum picturis elegantem: nostrum hisce intelligi plane persvasus sum. Codicum picturis hujus generis illustratorum immensum pretium ex eo statui potest, quod tradit DIPPELIUS de Manuscripto alchymico RUDOLPHI secundi Imperatoris jussu confecto, elegantissimis figuris ornato; pictorem Belgicum multa florenorum millia & tempus sex annorum ad opus simile per ficiendum, flagitasse. v. Neue Vorrede zu Basilius Valentini Chymische Schriften edit. Hamburg. 1717. Quantum hoc cum nostro conveniat, non satis de ejus contentis edocitus, prædicare nequeo. Elector quoque Brandenburgicus, JOHANNES GEORGIUS, beatissimæ memoriae, sibi manuscriptum alchymicum in membrana, interspersis artificiosissimis figuris novem millibus imperialium a THURNHEISERO redemit v. Acta Med. Berol. Decad. II. Vol. I. pag. 7. in not. Scriptum, cuius titulum dedi, jam bis typis mandatum est, prima vice figuris ligno incisis, altera æneis instructum. Exstat in Collectione opusculorum alchymicorum per quinque partes in lingua germanica sub titulo: AUREUM VELLUS oder güldin Schatz - und Kunst-Kammer der Alchimey, editorum. Prima & secunda pars Aurei velleris Rorschachii ad lacum Acronium 1599. 8vo. tertia 1600. ibidem, quarta & quinta Basileæ 1604. typis excusæ sunt, cum ligneis figuris. Altera deinde editio Hamburgi prodiit 1708. in 4to. In hac præter figuras æneas & formam libri

bri majorem nil mutatum est; sed sphalmata, dialectus antiqua Germanicae linguae, ejusdem orthographia obsoleta, solitare sunt conservata. Figuræ male nostris convenient; nam ad mutilam figurarum lignearum cynoscuram, æri incisæ sunt. Editor etiam emtorem decepit, dum operi 1708. impresso, lucri causa 1718. novum solummodo titulum præfixit, textu plane non mutato. Ex collatione manuscripti cum impresso, quod in tertia parte aurei velleris continet, liquet, impressum secundum manuscriptum valde depravatum & male dispositis figuris editum esse, de quo postea. Tituli editionis primæ & secundæ docent, alchymica scripta in hac collectione contenta, ex reliquis & monumentis vetustis, jam a Salomonne TRISMOSINO, PARACELSI præceptore esse congregata, ac in lingvam vernaculam translata. Idem de nostro valet, cuius autorem ignoro. THURNHEISERI esse foetum, valde dubito, is enim semper in scriptis suis magnifice se jactat, & nullam ostentandi occasionem prætermittit, quod in nostro nunquam observavi. Editor aurei velleris in titulo, sumitus, laborem & periculum non satis prædicare potest, quibus autographa collegit.

Manuscripta alchymicorum pictis figuris ornata, multis parasangis impressa antecellunt. Nam totos sèpius processus hieroglyphicis figuris describunt, iisque ad illustrationem textus obscuri, ut solent, ut coloribus suis mentem mystice & profunde scribentis paululum detegant & explanent. Usus itaque fere nullius sunt figuræ æri incisæ libris alchymicis adjectæ, nisi simul per signa, uti in arte heraldica fieri solet, colores iconum manuscripti distincte in illis monstrantur. Admodum mirandum est, quod alchymicorum scriptorum editores, hoc in figuris æneis nondum observaverint; præsertim cum colores non semper in explicatione

A 2

earum-

earundem describantur. Sic, exempli gratia, in nostro, ater ille, cuius in quarta parabola tractatus tertii mentio fit, brachio dextro rubro, sinistro albo & capite itidem ad dimidium rubro sanguineo colore gaudet. Horum vero colorum diversitatem autor in textu non descripsit, cum tamen haud sine ratione haec figura diversis coloribus picta sit, quod enigmatum alchymicorum interpretibus relinquimus. Multas præterea alias hujus generis figurarum pictarum discrepantias prætermittimus. Erroribus typographicis impressus liber ita est maculatus, ut sensus vix deprehendi possit. Unum solummodo exemplum sufficiat, pag. 204. editionis ultimæ haec legimus: Volget vom Regierung des Feuer so ein Ding der Hitze bereitet ist, so wird kein Beweglichkeit der sein Ordnung verwandlet sich der Natur in der Sonne, das ist so uil geredet, das Geistlich ist leiblich gemacht oder schön und mann sein zu haussen kommen, von diesem zweyten Planeten redet Senior also, ich bin ein Heisse und Druckne Sonne, und du Luna bist kalt und feucht, und so wir aufsteigen werden in der Edelsten, so wirt uns eingegossen ein brinnendes Liecht, das ist durch die Lehr und Meisterschafft der Alten wir empfangen, die Erneuerung der Feuchtigkeit und Sonn und Mon werden durchleuchtig. In scala phisicorum cet.

In Manuscripto clarius: So ein Ding der Hitze beraubet ist, so wird keine beweglichkeit da sein, in der Ordnung verwandelt sich der Vater in den Sohn, das ist so viel: das geistlich ist leiblich und das Stützige bleiblich gemacht. Oder Sonn und Mond sind zu Hauff kommen, von diesen zweyten Planeten redet Senior also: Ich bin eine heiße und drückne Sonne, und du Luna bist kalt und feucht, und so wir aufsteigen

aufsteigen werden in der Ordnung der Eltesten so wird uns eingegossen eine Brennende Kraft oder ein brennendes Licht, das ist, durch die Lehr und Meisterschaft der Alten, wird empfangen die Erneuerung der Feuchtigkeiten, und Sonn und Mond werden durchleuchtig. In *scala philosophorum*, &c. Præterea *Artes* semper loco *Aristotelis* citatur, quod editor abbreviaturarum veterum ignarus retinuit. Ex hisce & aliis locis, satis colligi potest, manuscriptum longe esse edito anteferendum, quod monente *Petræo* in nova præfatione Operum Basilii Valentini, de pluribus antiquis alchymicorum manuscriptis valet, quæ vel truncatae vel interpolatae in lucem prodierunt.

Male autor præfationis Aurei velleris de Splendore Solis judicat, quod soli obnubilato æquiparandus sit, cum ipse sphalmatibus & figuris inconcinne locatis & male expressis, me judge, completam solis eclipsin creaverit. In gratiam eorum, qui sensum alchemicorum obscurum exponere cupiunt, crassiora vitia figurarum æri incisarum ac earum ordinem secundum paginas editionis Hamburgensis, quæ in omnium fere manibus est, ex Manuscripto emendabo, nec non quædam in textu omissavel male posita passim supplebo, omnia vero & minima persequi nolo. In principio animadvertendum, quod figuræ æneæ non exacte cum pictis convenient, sed illis longe superiores & auctiores sint. Statim post titulum & ante præfationem figura illa sequitur, quæ pag. 166. reperitur. Inscripta sunt piæ figuræ: *Arma artis*. Ante primum tractatum, figura, quæ pag. 170. visui offertur, ponenda est. Clypeus viri armati hujus figuræ, in codicis nostri piæ tabella, sequenti inscriptione ornatus est: *Ex duabus aquis, unam facite qui queritis solem & lunam facere, & date bibere inimico, & videbitis eum mortuum, deinde aqua terram facite & lapidem multiplicabitis.* Figura p. 169. tractatula

tractatum secundum præcedit, in schedula philosophi sequentia verba leguntur : *Eamus quæsumus elementorum quatuor naturas.* Titulus tractatus secundi in libro edito omisso hæc habet: Nu folget Meldung zu thun, von der Materi der verborgenen Nature des gesegneten Steins der Philosophen. Figura pag. 179. inscribitur *Particularia.* Schedula foeminæ cum luna legenda dat verba : *Lac virginum;* Viri cum sole : *Coagula Masculinum.* Figuræ tractatus quarti æri incisæ, dissimilitudinem quidem non habent cum pictis; attamen hæ ad latera cujusvis figuræ, multis aliis ad majorem illustrationem pertinentibus, affabre pictis, sunt locupletatæ. Textus pag. 193. sub figura ænea legendus, pertinet ad sequentem, & textus pag. 194. hujus loco substituatur. Tractatus quintus incipit pag. 204. ubi von denen Farben die sich erzeigen in der Bereitung des Steins, agitur. Cetera cum Manuscripto plerumque convenient. Icones pictæ codicis, ex autoris inventione natæ sunt, nam illas in aliis libris chymicis, quantum mihi licuit, unquam me vidisse non memini; imo ne inter figuræ varie collectas quidem quas Daniel STOLCIUS de STOLCENBERG Viridario chymico inseruit, exstant.

Nec in Theatro Chymico, nec in alia scriptorum alchymicorum collectione, Splendor hic solis reperitur, qui cum libro chymico sub titulo: *Chymisch unterirdischer Sonnen-Glanz.* Francof. & Lips. 1728. 8vo edito, non confundi debet, dum plane ab illo differt. Tu lector benevole, si alchymicorum scripta tibi non adrident, temeritatem meam indignaberis, qui patientiam tuam forsitan in recensione manucripti & emendatione impressi, fatigavi. Cogites autem quæfo, ea, quæ tibi hujus negotii incurioso nugæ & commenta viidentur, aliis forsan, qui lapidem Philosophorum aut metallorum transmutationem quærendo sunt occupati, non levem voluptatem excitatura esse.

CL.

II.

CL. Kräuter und Gewächse so wohl nach ihrer eigentlichen Gestalt, durch einen besondern Kunst-Schnitt abgebildet. Als auch derer Ort, Zeit, Pflanzung und Eigenschaften. Mit Beyfügung ausserlesener Experimenten vortrefflichster Aerzte beschrieben. A. MDCLXXXI. 4to. In Charta. p. 594. excepto indice.

Manuscriptum nitide holoserico oportamento cum clavulis & armatis extremitatibus, optime deauratis, ligatum. In medio utriusque lateris, clypeus insignibus Electoralibus Brandenburgicis, opere encausto pictis, reperitur.

Initiales nominis Autoris litteras versa tituli pagina monstrat, ubi legimus. A. O. *Præsentem Deum quævis herba refert.* inferius J. C. E. Autor est Johannes Christophorus ENDE, idem, cui Manuscriptum sequens debetur, hoc enim litteræ initiales & simile artificium colligere jubent. Figuræ herbarum centum & quinquaginta secundum alphabeti ordinem locatae, artificioſſime in charta ſunt exſectæ. Id, quod pictores lucem & umbram vocant, per ſubtiles admodum ſcissuras, nec non ſcite per foraminula tenui cultello pertusa, exhibetur. Imo vasa foliorum hac methodo ſub adſpectum cadunt. Quælibet figura plantæ utrinque exſecta, dimidium circiter folium occupat; tam antecedens quam ſequens pagina, in eo ſpatio ubi exſecta plantæ figura, folio dextroſum vel ſinistroſum voluto, dictis paginis imponitur, atro colore obductæ ſunt, quo eo melius figura oculis ſubjiciatur. Alterum folii cuiusvis dimidium, plantæ locum natalem, tempus, virtutes, medicamenta inde paranda, & morbos quos fanat, lingua Germanica docet. Folium ante præfationem, ſimili artificio elaborata Brandenburgica inſignia oſtentat.

tat. Ex præfatione notamus. Initio autor refert, **EVA-**
CEM Regem Arabum **NERONI** Romanorum imperatori, herba-
rium propria manu affabre pictum obtulisse; eaque occasione
præstantiam artis suæ picturas superantis prædicasse. **PLINIUS**
hujus narrationis antor est, qui L. XXV. C. II. Evacem Ara-
bum regem ad imperatorem Neronem de simplicium effectibus
scripsisse, refert. Nec non **MARBODÆUS** contendit, eun-
dem Evacem, Tiberio imperatori librum de lapidibus pretio-
sis inscripsisse; ac Gesnerus affirmat, se in bibliothecis quas
nominatim recenset, tale Manuscriptum de gemmis vidisse,
conf. le Clerc Histoire de la Medicine p. 584. & Fabricii biblio-
thecæ græcæ Vol. XIII. Nos addimus idem Manuscriptum
Evacis nomine, in Catalogo Manuscriptorum Angliæ & Hiber-
niæ sæpius occurrere. Prostat etiam liber impressus sequenti
titulo: *EVACIS regis Arabum scriptum de gemmis olim a poeta*
quodam non infeliciter carmine redditum, & nunc primum in lucem
editum opera & studio D. Henrici Rantzovii, Lips. 1585. 4to & alia
editio Witteberg. 1674. 8vo.

Testibus vero **HARDUINO** & **SALMASIO** nunquam Evax
rex Arabum inter mortales visus est, quod fusius in citata Cle-
rici historia Medicinæ, ibique allegatis locis inquirendum. Sed
de his alias.

Nunc tantum addemus autorem nostrum suas figuræ se-
cundum **TABERNÆMONTANUM** exegisse, ut ipse monet in præ-
fatione. **CONRINGIUS** in Introduc. univ. art. med. p. 304.
testatur, imagines stirpium **TABERNÆMONTANI** accurate sa-
tis esse depictas, ideo autorem non male eum ad imitandum ele-
gisse. Non itaque non possum mentionem facere **LOBELII**
Botanici celeberrimi audaciæ, qui Tabernæmontanum reum
agit plagii, Pharmac. Off. restit. p. 58. „ Taceo hujus ævi
Tran-

„transcriptorum vernaculo idiomate , nec non Tabernæmon-
 „tani & typographi sui subreptitia , qui icones laboribus no-
 „stris & ære Plantiniano pictas & sculptas tacite , cate , & cum
 „cautela , insalutato hospite aut autore , scriptis suis inserue-
 „runt , & propria maxima impudentia fecerunt . „ Itaque Hi-
 storiam stirpium LOBELII 1576. in fol. ex officina Christoph.
 Plantini Architypographi regii , ut titulus docet , editam , so-
 licite contuli , cum prima editione herbarii a TABERNÆMON-
 TANO ipso , & Nicolao Bassæo typographo , Francof. ad Moen.
 1588. in fol. curata ; sed quantum mihi licuit videre , nullum
 figurarum plagium animadvertisi . Præterea TABERNÆMONTA-
 NUS in præfatione ait : se XXXVI. annos huic operi impen-
 disse , ut figuræ ligno incideret ; LOBELIUS vero de æri in-
 cisis loquitur . Invidia movit LOBELIUM , ut iniquius de TA-
 BERNÆMONTANO judicaret . Nam in dedicatione stirpium
 historiæ non solum Belgis primam laudem in excolenda reher-
 baria tribuit , sed & in hac una Provincia plures herbarum , fru-
 ticum arborumque diversitates inveniri contendit , quam in an-
 tiquissima Græcia , spatioſiſſima Hispania , Germania , Anglia ,
 Francia , cultiſſima denique Italia , aut aliquo huic circumja-
 centi regno & provincia . Veruntamen secundum computum
 Conringii l.c. Tabernæmontani herbarium , imaginum nume-
 ro Lobelii stirpium historiam longe superat , quod Lobelius a
 Germano factum vix opinatus erat , quem injuſta plane accu-
 fatione persequitur , cum plagii reum peragere non posset .
 Tabernæmontanus præterea jam 1590. biennium post editum
 herbarium diem obierat supremum . Cum hactenus nemo ,
 quantum mihi constat injuriam Lobelii , Tabernæmontano il-
 laram deleverit ; ideo brevibus illam hac occasione diluere
 constitueram .

III.

Sonderbares Kräuter-Buch, darinnen CCXV. In- und Ausländische Bäume, Stauden und Kräuter nach eigentlicher Gestalt in Papier geschnitten zu finden sind: Mit Anmerkung ihrer Zeit, Temperament, Wirkung, Pfianzung und auch Arznei-Gebrauchs, Neben Beyfügung vortrefflicher Experimenten Tabernæ-montani und anderer Botanicorum. Samt einem vollständigen Register, zu Belebung und Nutzen eigenhändig verfertigt von Johann Christoph Enden Jur. Pr. Lignic. Siles. In Folio, charta. Lig. gall. pag. 869.

Finita recensione præcedentis opusculi, præsens mihi manuscriptum in manus incidit. Convenit ratione artificii plane cum priori. Figuræ vero arborum, fruticum, plantarum, in majori forma sunt exsecæ; nam totus codex alteri magnitudine excellit. Numerus plantarum non solum valde auctus, sed etiam arborum quarundam ectypis locupletatus est. Praefationis momenta cum prioribus plane convenient, mutata solummodo sunt pauca verba. Annum, in quo hic Codex elaboratus est, non adjecit autor qui in titulo tamen hujus voluminis nomen suum detexit. Artifex certe miræ solertia & patientia!

IV.

Ob rei convenientiam codicem hujus Bibliothecæ eleganter pictum prætermittere nequeo, etiamsi propriæ inter medicos referendus non videatur. Continet icones florum, qui indefesso studio a topiariis in floretis coluntur. Spero lectori benevolo non ingratum fore, si leves interdum excursiones in

in amoenum historiæ naturalis campum instituam. Medica enim ars cum historia naturali conjuncta, haud parum favitatis acquirit. Codicem præsentem pinxit Antonius CARLI, Maximiliani Henrici glorioissimæ memoriæ Electoris Coloniensis & Bavariæ Ducis pictor, quod in fine libri legimus. Imagines pictor peritus scite & politissima arte expressit, tantaque varietate colorum eos adumbravit, ut naturam magnopere imitatus sit, sane ex quovis ductu non rhyparographi, sed Xeuxis artificium cognoscitur. Flores numero sunt centum: cuilibet artifex insectum, muscam, scarabæum aut papilionem elegantissime adpinxit. Eadem insecta in peculiari libello & hic servato, foliis pergamenis, formæ oblongæ, instar Albi, congesit, floridisque coloribus ad vivum delineavit, absque ulla nomenclatura. Totus florum codex ex centum foliis membranaceis constat, ligatura gallica forma quam in folio dicere solemus. Nullus præfixus est titulus, nec quidquam manu in eo scriptum reperimus, præter florum nomina, inter quos tuliparum & caryophyllorum elegantissimæ species omnibus palmam præripiunt. Nomina itaque subscripta, secundum florum a bibliopego forsan dispositum ordinem adjungam. Reperies lector benevole latina, gallica, belgica, & ex horum combinatione orta barbara planæ vocabula, quibus florum species appellatae sunt. Nam harum rerum curiosi sæpius ex sparsis in floretis semine novas florum, coloribus a ceteris diversis species, colunt; his si alii nondum cognitæ sunt, cum mos ita invaluit, nova nomina imponunt. Tot itaque hominum diversi generis & ingenii potestate & arbitrio factum est, ut tam portentosa nomina, una cum novis florum coloribus enata sint. Sed accipe catalogum cui tuliparum & caryophyllorum genus adjeci.

- I. Centifolia.
 II. Rosa pegenna.
 III. Globe terrestre. *Tulipa.*
 IV. Sommer - Schon. *Tulipa.*
 V. Rosa Cyprica.
 VI. Rosa acetalis.
 VII. Anglitaeir. *Caryophyl.*
 VIII. Capitain imperial. *Caryophyl.*
 IX. Rosa alba.
 X. Rosa coronalis.
 XI. Admiral Littkens. *Tulipa.*
 XII. General de Bruxelles. *Tulipa.*
 XIII. Iris Sufiana.
 XIV. Iris alba.
 XV. Florentina. *Caryophyl.*
 XVI. Themerintha. *Caryophyl.*
 XVII. Iris Thursis.
 XVIII. Iris Dalmatica.
 XIX. La reine d'Hongrie. *Tulipa.*
 XX. L'Empereur. *Tulipa.*
 XXI. Iris bulbosa.
 XXII. Iris Chamæiris.
 XXIII. Picot Triomphant. *Caryophyl.*
 XXIV. Gratid - Husar. *Caryophyl.*
 XXV. Consolida regalis, sativa. *Flor. cœrul.*
 XXVI. Consolida regalis *Flor. subrutil.*
 XXVII. Broocardine. *Tulipa.*
 XXVIII. Hollandsche Pallast. *Tulipa.*
 XXIX. Papaver. erraticum.
 XXX. - - - sativum.
 XXXI. Picot incomparable. *Caryoph.*
 XXXII. Bisard d'Arragogne. *Caryoph.*
- XXXIII.

- XXXIII. Pœonia. *Flor. rubr:*
 XXXIV. Pœonia batica.
 XXXV. Prince Eugene. *Tulipa.*
 XXXVI. Bransum von Heck. *Tulipa.*
 XXXVII. Tribulus.
 XXXVIII. Heliotropium.
 XXXIX. Otto de Man. *Tulipa.*
 XL. General Lannoy. *Tulipa.*
 XLI. Belle Helene. *Caryoph.*
 XLII. Picot rubis. *Caryoph.*
 XLIII. Constantinople.
 XLIV. Constantinople en double.
 XLV. General von Eycken. *Tulipa.*
 XLVI. Den Audenarde floruit 1690. *Tulipa.*
 XLVII. Africana major.
 XLVIII. - - minor.
 XLIX. La Femme de Reine. *Caryoph.*
 LI. Picot incomparable. *Caryoph.*
 LI. Valeriana græca.
 LII. Ocymastrum.
 LIII. Toul de Herou. *Tulipa.*
 LIV. Paragon de Wemer. *Tulipa.*
 LV. Viola matronalis alba.
 LVI. Viola matronalis violacea.
 LVII. Bisard Iouwel. *Caryoph:*
 LVIII. Duchesse de Bourgogne. *Car.*
 LIX. Napellus.
 LX. Viola Trinitatis.
 LXI. La reine des fleurs. *Tul.*
 LXII. Ryswicker. *Tulipa.*
 LXIII. Corona imperialis. *Flor. flav.*
 LXIV. Coronā imperialis.

- LXV. Surrial. *Caryoph.*
 LXVI. Rosa major. *Caryoph.*
 LXVII. Tunica sylvestris.
 LXVIII. Tunica carthusianorum.
 LXIX. L' infernale. *Tulipa.*
 LXX. Phoenix en beaute. *Tulipa.*
 LXXI. Lilium Nazarenum.
 LXXII. Amara dulcis.
 LXXIII. Le grand etendart de France. *Caryoph.*
 LXXIV. Bisard Turc. *Caryoph.*
 LXXV. Lilium album.
 LXXVI. Lilium Arausiense.
 LXXVII. Belle d'Anvers. *Tulipa.*
 LXXVIII. Hieronymus. *Tulip.*
 LXXIX. Aquilegia. flor. alb. & cær.
 LXXX. Aquilegia sylvestris.
 LXXXI. General Nassau. *Caryoph.*
 LXXXII. La reine Esther. *Caryoph.*
 LXXXIII. Nasturtium.
 LXXXIV. Gladiolus.
 LXXXV. La reine des maures. *Tulipa.*
 LXXXVI. Schilder. *Tulipa.*
 LXXXVII. Double Narcisse. flore albo.
 LXXXVIII. Double Narcisse. flore flavo.
 LXXXIX. Picot Apelles. *Caryoph.*
 XC. La reine d'Espagne. *Caryoph.*
 XCI. Fritillaria.
 XCII. Ranunculus.
 XCIII. Buron. *Tulipa.*
 XCIV. Candria. *Tulipa.*
 XCV. Rosatransmarina.
 XCVI. Amaranthus tricolor.

XCVII.

- XCVII. Konig Hann. *Caryoph.*
 XCVIII. Couronne des fleurs. *Caryoph.*
 XCIX. Marbué. *Caryoph.*
 C. Perellis. *Tulipa.*

V.

Venio nunc ad Codicem manuscriptorum medicorum, in membrana bonæ notæ seculi decimi tertii. Non incassum erit quædam de externa ejus facie præmittere, cuius ratio in descriptione codicum antiquorum habenda videtur. Tabulæ ligneæ operimenti corio fusco tecta sunt. In dextra tabula superius titulum legimus, LIBER ALMANSORIS, inscriptum membranæ parvæ, oblongæ, quadratæ, hæc schedula cornu diaphano (nunc lacerato) tecta, inclusa est quatuor laminis orichalceis. Operimenti anguli orichalco muniti sunt, circa utrosque angulos inferiores cuiusvis tabulæ ferrum breve eminet, ne, sæpius codice ex repositorio protracto, ligaturæ detrimentum fiat. Lora, offendices, fibulæ, vel hujus generis ligamina, quibus libros quadratos constringebant veteres, nostro codici adfuisse ex vestigiis cognoscimus, temporis verò injuria deficiunt. Olim enim tabula dextra operimenti codicum in forulis positorum, aspectui offerebatur, opus idcirco erat ut loris aliisve ligamentis clauderentur libri, ne indecora hiarent. Cum quadratura codicum antiquorum in descriptione eorundem consideranda est, docente celeb. C. G. SCHWARTZIO in diss. de ornamentis codicum veterum, ideo de magnitudine hujus codicis mentionem injiciam. Non inter perfecte quadratos pertinet; nam altitudo decem, latitudo septem digitos excedit. Hæc de habitu externo sufficiant, nunc quædam de interno. Omnia folia utrinque litteris impleta sunt, quælibet pagina duabus columnis distincta est. In qualibet

qualibet columna quatuor & quinquaginta versus, vel linea continentur, primis exceptis foliis, quorum columnæ quinquaginta sex versus exhibent. Litteræ minores Longobardicæ ad amissim positæ sunt, sed mirum in modum abbreviatæ, unde scriptura lectu difficilis est. Tituli capitum minio pœti sunt, loco diphthongi & simplex e, absque subjecta notula sive cauda inferius recurva scriptum est. Littera i, nec accentum nec punctum superimpositum habet, in fine & medio verborum semper / longo, nec alia distinctione nisi puncto in fine periodi scriptor usus est. Verborum initio, medio & fine, litera a sic a reperitur, C & Q, T & C promiscue sibi substituuntur, y unicum in medio punctum impositum habet. Syllaba ET non uno ductu, sed peculiari a consuetis diversa abbreviatura expressa est. Loco hordeum scriptum est ordeum, & olera holera vocantur. Pro his semper posuit hiis, duplici i, & similia. Sed non totum codicem una manus in hoc scripturæ genere absolutit, hæc solum de primo manuscripto valent, quod de reliquorum scripturæ genere observatur, cuivis initio recensionis libri adponam. Contenta codicis secundum ordinem recensabo.

I. Primum Manuscriptum hujus codicis litteris minio scriptis, hoc exordio fulget: ABUBEZI ARAZI FILII ZACHARIAE LIBER INCIPIT, QUI AB EO VOCATUS EST ALMANSOR, EO QUOD REGIS ALMANSORIS ISAAC FILII, PRÆCEPTO EDITUS SIT. Deinde sequitur litteris nigris: *I*si hoc libro aggregabo regi cui benedicat deus aggregationes novas & exceptiones congruas doctrinæ medicinalis, hoc faciam compendiosè, dicamque in eo, modum conservandi sanitatem & curandi agritudinem. Et ea quæ sine intermissione sequuntur ista, nec non ea, quorum scientia est necessaria, per quam est possibile, acutum hominibus ingenium aequipa-

equiparare medicis. Ea vero quæ raro solent accidere proponam & dimittam ea in quibus est nimia doctrinæ in arte profunditas. Hunc autem librum in X. distinguo partes, & in unaquaque parte ipsius, ponam capitula signata litteris alphabeti, contra ordinem & numerum imparem, ut cito possit inveniri quod queritur, ut autem decenter implere valeam, divinum imploro duftatum & auxilium, ut & ipsi prius, de cetero regi, placeam, eique incessanter adhærere valeam.

Sequuntur argumenta decem librorum, quæ deinceps tradam.

ABUBEZER ARAZES, ALBUBECAR MUHAMED, MOHAMMED EBN ZACHARIÆ AL RAZI, ABUBACHAR RASES, ABUCHARE MUGAMET, BUBICKR, ZACHARIÆ ERRASIS FILIUS, ABUBETER RHAZES. Diversis his & corruptis noninibus, celeberrimus RASES, ARABUM olim nuncupatus GALENUS, nec minus ob longam experientiam, EXPERIMENTATORIS cognomine insignitus, saepius citatur. Cur vero hic a RAI oriundus vocatus sit RASES, GOLIUS in notis ad ALFRAGANI elementa astronomica p. 213. exposuit. In disquisitione hujus manuscripti occupatus, & medicæ scriptores historiæ evolvens, multis modis apud plerosque de vita & morte Rafis scriptum esse, observavi. Alii, nescio quo fato, Poenum, alii Persam eum vocant. Quibusdam floruit Bagdadi, aliis Cordubæ, regnante Almansore Calipha; alii ætatem ejus in Henrici IV. imperatoris tempora cecidisse, tradunt, hi vero vitæ ejus terminum justo longius protrahunt. ABULPHARAJUS enim in Historia orientali p. 191. Rafin anno Hegiræ 320. mortuum esse proponit, i. e. anno p. C. n. 932. Idem breviter vitam ejus enarrans pergit pag. cit. Fertur Abu-Berum Mohammedem Ebn Zachariæ Al Razium, singulare temporis sui decus, & seculi phoenicem omnes antiquorum scientias colluisse,

principue medicinam, ac fuisse senem capite magno quadrato, ne quis unquam a scribendo desistisse sive adversaria sive apographa. Propositi ratio non permittit, ut fusius in historiam vitæ Rasis inquiram, & historicorum discrimina ex instituto conciliem. FREINDIUS in præclaro & egregio opere, CLERICI historiam medicinæ continuans, multa de Rasis vita solcite collegit. Doleo vero quod fontes parcus nuncupaverit; recentiores biographi FREINDIUM secuti sunt.

Hisce præmissis incumbit mihi nunc, ut me ad historiam & recensionem libri ALMANSOR vocati, accingam. Magnum opus RASES concinnaverat, quod HELCHAUY vel ELCHAVI, vel ELKAVI, latine CONTINENS (scilicet artem medicinæ & dicta prædecessorum) nominatum est. Typis mandatum est Brixia 1486. altera vice Venetiis 1506, & tertia ibidem 1509, ubique in duobus Voluminibus, in folio regali. Cum Rases & experientia & doctrina unus omnium maxime floreret, ideo hoc opus tunc temporis Arabes tanti aestimabant, ut in medicis disceptationibus & dubiis casibus ad Continentem Rasis, tanquam ad sacram anchoram & oraculum, confugerent. Cum vero Rases magnum illud opus potius in proprium usum, instar locorum communium, absque ordine concessisset, factum est, ut tanquam in compendium, meliori methodo, medicas res in Continenti pertractatas disponeret, ac uno libro, in decem partes diviso, absolveret, is sub titulo LIBRI ALMANSORIS in publicum prodii. Titulus ALMANSOR vel ALMANSURIUS huic libro impositus est, quia non solum præcepto Almansoris eum composuit, sed omnes etiam decem, in libro Almansoris contentas partes, eidem adscriptis; quod ex initio hujus manuscripti & sub numero III. sequentis, patet. Haec non sine ratione commemoravi, quia in quibusdam historiæ litterariæ scriptoribus legitur, solummodo nonam partem ex his decem,

cem, Almansori dicatam esse. Error inde ortus, quia nō
nus Almansoris inter Rasis scripta quam maxime celebratus est.
LIBER ALMANSOR diversis jam temporibus cum variis Rasis
opusculis editus est, quod in Lindenio renovato indicatur.
Titulum editionis Basiliensis 1544. f. ex parte dabimus, ubi
merita & laudes Rasis valde prædicantur. *Abubetri Rhazis*
opera exquisitiora, quibus nihil utilius ad actus prædictos extat. *Om-*
nia enim penitus que habet aut Hippocrates obscuriora, aut Ga-
lenus fufiora, fidelissime doctissimeque exponit cer. Inter hæc ope-
ra *RHASIS* exquisitiora, Liber Almansoris primum occupat
locum. Argumenta nunc decem partium secundum ordinem
Manuscripti tradam.

Pars 1. *De figura & forma simplicium membrorum.* h. e. de Ana-
tomia.

2. *De notificatione complexionum corporum & dominii humana-
rum & figurae physionomiae collocatae & comprehensæ brevi-
ter.* f. de significatione temperaturarum.

3. *In qua continetur scientia virtutis nutrientium & medicinarum
simplicium.* Tertia pars præfixo titulo: *Dictio univer-
salis ad sciendum virtutes nutrientium & medicinarum*, cum
aliis ejusdem argumenti **SERAPIONIS**, **AVEROIS**
& aliorum scriptis, Argentorati, 1531. fol. separa-
tum excusa est. Hæc editio ex bibliotheca Gymnasii
Reg.Joachimici, benevole mihi suppeditata est. Trans-
lator nec a Brunsfelsio in præfatione, nec alibi no-
minatus est. Contuli cum manuscripto, sed hoc
alius interpretatus est.

4. *De conservatione sanitatis.*

5. *De pulchritudine.*

C 2

6. Agit

6. Agit de vietu peregrinantium & eorum sanitate conservanda. Ipsa tituli verba, vetustate & usu detrita, exhibere non potui.
7. *De aggregationibus & summis chirurgiae & de rectificatione membrorum desiccatorum & vulnerum & apostematum sanatione.*
8. *De sanatione venenorum & morsibus venenosorum animalium.*
9. *De infirmitatibus quae accidunt omnibus membris, quae sunt a capite usque ad pedes.* Pars nona ob ingentem commentariorum farraginem saepius cum illis seorsim edita est.
10. *De febribus & de his qui sequuntur casus, quae sint necessaria ad perfectam curationem ipsarum,*

FREINDIUS libro citato p. 146. titulos decem partium Almansoris profert; qui a nostris differunt; ideo, ut in manuscripto leguntur, eos proposui. Idem, autores Græcos ibidem recenset, quibus Rases, componendo quamvis partem libri Almansoris, usus est. Nona pars libri Almansoris maximam famam RASI peperit, quantam neque antea, neque postea, e medicorum ordine habuit nemo.

Cum enim plerosque morbos sanandi rationem continet, eam per multa secula, in omnibus fere academias Magistri exposuerunt. Ultimus qui in Germania speciatim in academia Jenensi, nonam RASSIS publice auditoribus explanavit, teste CONRINGIO, fuit ROLFINCKIUS. Nec minus agmina commentariorum in nonam libri Almansoris, produci possunt, conf. KESTNERI bibliotheca medica p. 130. & HENDREICHII Pandectæ Brand. sub voce *Almansor.* Inter hæc Johannis de TORNAMIRA mentionem injiciam, cuius commentarii primam editionem raro obviam, in parva supellectile librorum meorum habeo. Cum celebris MAITTAIRE industriam in componendis annalibus typographiæ effugit, ideo e re erit quædam huc ad-

adjicere. Impressus est Lugduni per Johanneum Bachalarium artis impressoriæ magistrum, anno 1501. Initium libri hoc est. *Incipit Clarificatorium Joh. de Tornamira decani præclari studii Montis pessulanii, in speculatione curationis morborum, cum cura brevi & electa eorundem, stando magis super remediis Rasis positis in toto continente.* Cum post Hippocratem & Galenum teneat principatum, a capite usque ad pedes, per ordinem procedendo & capitulando, prout ipse Rasis capitulat in nono Almansoris cum textu ipsius noni, cum ibi sua specialia posuerit; ut inquit bonus ille Guido de Cauliaco in capitulo singulari, sui collectorii, addas iamen XX. capitula in diversas partes corporis cum laude dei. Qui virtutem mihi targiri dignatus est, hoc opusculum componendi anno XIX. mei ordinarii. Deus me parvulum ab errore eximat & ipsius lumine oculos imbecilles mihi illuminare dignetur, volenti clarificare ea, quæ sunt majora &c. Patavii inter manuscriptos codices bibliothecæ S. Augustini, Clarificatorium Tornamiræ in nonum Rasis ad Almansorem; nec non SYLANUS alias Syllanus de Nigris de Papia, in nonum Rasis ad Almansorem, scriptus 1451. a Johanne de Livonia ch. in fol. asservantur, teste Tomasino in Bibliotheca Patavina Utin. 1639. p. 141.

Recensendo librum Almansoris in duos difficiles nodos incidimus. Primo an re vera Rasis hujus libri autor sit? deinde quis ille Almansor cui adscriptus est, fuerit?

CORRINGII verba ad primum dubium ansam dedere. Hic enim in *introductione in universam artem medicam* pag. 98. de libro Almansoris pergit: *Verum opus illud supposititum, neque cuius est Continens, esse, valde videtur verosimile.* Omnes sola autoritas CORRINGII in suam sententiam traxit, qui nullas

rationes attulit, quibus effatum de suppositione horum librorum confirmari possit. De Continente Rasis antea quidem dixerat: *dignum illud lettu est, vel eo nomine, quod multa eorum fragmenta ibi collecta reperiantur, quæ nullibi alias extant; hoc tamen in eo reprehendendum judicaveris, quod vox illa, dixit, ad naufream usque repetatur.* Videtur itaque CONRINGIUS eo ad hoc judicium ferendum inductus esse, quod Rases in libro Almansoris ordinem in Continenti neglectum, melius observavit; hinc duos, inter se diversos, horum librorum autores, verosimiliter fuisse putat. Animadvertisendum vero est, quod Continens a Rasi instar locorum communium, sententiarum, celeberrimorum medicinæ autorum, compilatum sit; id est vox *dixit*, quæ CONRINGIO naufream creavit, sæpius repetita legitur. Facile hinc est cognitu, cur liber Almansoris ordine & stylo Continens superet, præsertim cum regis præcepto a Rasi conscriptus sit, in usum medicinæ incumbentium, quam artem docendo & exercendo colebat. A vasto illo Continente, cetera quoque Rasis scripta, tam methodo quam ordine, differunt, nihilominus probari nequit, Rensem eorum autorem non esse. FREINDIUS loc. cit. refert, HALY-ABBA SUM enumerando scripta RASIS nullam libri Almansoris mentionem fecisse, cum hic tamen' Rasi iure vindicandus sit. Quibusdam hoc occasionem suppeditavit, ut CONRINGII autoritatem cum silencio HALY-ABBASI a FREINDIO animadversam, conferrent, quo eo magis quasi verosimilem opinionem antea conceptam, protegerent. Decretum a CONRINGIO hac in re factum, sola ejus autoritate non vero argumentis nitens, jam a me dilutum est. An HALY-ABBAS in omnibus & copiosis suis scriptis, nullibi libri Almansoris mentionem fecerit, affirmare non audeo, ea raro obvia, nec impetrare nec inspicere potui. LEONIS AFRICANI testimonium, Rasini Almansoris librum composuisse, ad alteram quæstionem proferam;
 Ecquid

Ecquid testimoniis aliorum opus est! RASES ipse, Almansoris librum pro foetu ingenii sui agnoscit, sic enim in libro de *divisione*, qui in nostro codice, loco secundo positus est, statim ab initio de libri *divisionis* dispositione pergit: *Nos quidem scriptissimus illud per capitula distincta litteris, sicut fecimus in Almansore.* Hæc a scriptore vel interprete forsan supposita esse quidam objiceret, sed in ipso textu a Rase incepto, continentur. Nec hisce contentis, certe in Antidotarii initio satisfactum est, vid n. 111. & pag. 25. In hoc enim expositæ & aperte de libro Almansoris in decem partes diviso & aliis ejus scriptis mentionem injicit. Vix itaque credo, ullum nunc dubium de vero libri Almansoris autore superesse.

Quis ALMANSOR fuerit cuius nomen liber præfert quæstio altioris est indaginis. Cum enim inter Autores de vitæ conditionibus & historia RASIS magna sit contentio, utrum in Persia Bagdadi vitam degerit, an Cordubæ docuerit, ideo mox hic, mox ille Almansor, in censum venit. Hi qui RASEM Cordubæ vixisse contendunt, inter quos Renatus MOREAU exactissimus scriptor Chronologiæ medicæ eminet, Almansorem Proregem Cordubensem hujus libri Patronum prædicant. Cum vero Renatus MOREAU non argumentis historicorum effatum confirmavit, hos ego solicite consului, duosque ex eorum numero in sententiam ejus discedentes proferam, quorum rationes & testimonia optime huic liti finem imponere potuissent, nisi ex infra allatis a me rationibus, quæ Rasis verbis confirmantur, contraria plane sententia manifeſte deprehensa, appareret. Prudentia primo LEO Africanus ex BIBLIOTHECA HOTTINGERI pag. 253. Hic postquam Rasem Rai natum & Bagdadi litteris vacuisse retulit, ita pergit: *Tandem in medicina singularissimus effectus*

effectus est. Post hoc, profectus est ad Chairum, ubi per aliquot annos ægrotavit. Cujus famam cum intellexisset Elmansor, secretarius pontificis Cordubæ, qui in omni facultate & scientia dotissimus erat, vocari jussit hunc Rasim, promittens ei mercedem magnam. Cum autem Rasim recipisset litteras, profectus est, & navim in Alexandria ingressus, ad Cordubam tandem pervenit. Elmansor vero lætatus est, dictumque Rasim magno affecte honore, eique habitationem, possessionem, ac servitores & famulos tradidit. Eo tempore Rasim famosum librum composuit, quem Elmansor nominavit, & usque nunc vocatur Almansoris liber. Historiam deinde exponit LEO, Rasim nempe in celebritate versantem spectatoribus miraculum fecisse, cum hominem pro mortuo habitum, fustium parvorum ictibus in vitam revocavit; concludit tunc LEO: & mortuus est Rasim anno CDI. (ann. Chr. 1023.) in civitate Cordubæ aetatis suæ circa nonagesimum. Notatu dignum est, quod pontifex Arabum & Caliphæ s. princeps eorum, unus idemque sit. Caliphæ enim tam status ecclesiastici quam politici summam administrabant, ad ductum Muhammedi, qui dux & propheta affectis suis præerat. Secretarium itaque hujus majorem, plurimi, primum status ministrum, seu quod idem, primum Visirem fuisse, contendunt. Hisce præmissis alterum testem in medium proferam, qui hæc uberioris explicat; nempe NICOLAUM ANTONIUM. Is in bibliotheca veteri Hispana, Romæ, 1696. fol. T. I. p. 370. Col. b. postquam ex historia orientali Abulpharaji antea adlegata, Rasim CCCXX obiisse, & ex LEONIS Africani verbis eum anno CCCCII deceisse repetitur, " tandem concludit: scimus inter hæc duo tempora annorum CCCXX & CDI Aeræ Arabum Cordubæ rebus præfuisse, " vicario quidem Issem regis nomine, sed plena autoritate, Ma- " homadum Abenhamiri filium Alhagib, hoc est proregem prius,

" prius, postea autem Almansor, hoc est defensorem propter
 " decertata multa prælia, nuncupatum. Vicarius hic factus
 " fuit An. CCCLXVII. & post præfecturam annorum XXVI.
 " obiit anno CCCXCII. cert. Pergit deinde: Et quid vetat hunc
 " esse Almansorem, cuius auspiciis, excellens iste medicus Ra-
 " sis Cordubæ commoratus dicitur, librumque præstantissi-
 " mum exarasse, inscriptum ejusdem Almansoris nomine?
 " Convenit enim quod non ipse rex, sed regis vicarius fuit,
 " quod quidem munus Johannes Leo forsan secretarii majoris
 " nomine intellexit. Convenit etiam quod Almansor hic a
 " quo liber inscribitur, Rex appellari solet, ab iis qui de opere
 " tractant, cum re vera imperium ipse administravit, reclusi re-
 " gis Issem illibata majestate munitus. Res mira! vix est, ut de
 " Rasis ætate, rebus gestis, ac mortis anno, duo veterum aut
 " recentiorum testimonia convenientia

Certum est Nicolaum ANTONIUM verisimiliter prola-
 ta demonstrasse, sed ipse RASES rationes ANTONII late con-
 gestas, prosternit. Nam ex initio libri Almansoris jam dato,
 patet: regem Mansorem, cui librum Rases inscripsit, fuisse
 filium Isaaci, cum Almansor vel Mansor Cordubensis satu
 Abenhamiri, teste Antonio, editus est. Quis autem Almansor
 Isaaci filius fuerit, ipse Rases in Antidotarii initio, v. n. 111. hujus
 codicis aperit: *& in libro nostro, qui est minor isto - - qui est Alman-*
sori, quo posui X tractatus & feci ipsa regi Mansori Domino Co-
raffensi, a cuius nomine nominavi librum. Idem ALMANSOR
 vel Mansor ab HENDREICHO in Pand. Brand. aut potius a
 Thoma HYDE in Catalogo impressorum librorum Bibliotheca
 Bodleianæ in acqd. Oxoniensi, Oxon. 1674. p. 21. sub voce
 Almansor (nam totum articulum exscripsit Heindreichius) *Alman-*
sor Ibn Ishac, Ibn Ismael, Ibn Ahmed dominus seu princeps Chor-
asaniæ vocatur. FREINDIUS libr. cit. p. 151. RASEM varia Al-
 mansori
 D

mansi, Principi Chorasaniæ dedicasse refert, sed absque ulla historici mentione. Quos sèpius Freindium neglexisse, dolemus. Effatum interim ejus de Almansore Chorasano rationibus jam a me allatis confirmatur, quibus simul alter nodus expeditur. Quidam Almansorem Chorasanum cum Caliphâ ejusdem nominis, qui Bagdadum extruxit, commutant, cum aliquot secula ante Rasis ortum mortuus sit.

Librum medici argumenti *Almansoris* nomine celebrem discernendum esse ab astrologico, ejusdem nominis, ex paratione insignito, moneo. Exstat quoque Almansoris Chirurgia & ejusdem Anatomia, sed infra de his plura. Illius mentionem infert HENDREICHUS Pand. Brand. voce *Almansor*. Quantum memoria repetere possum, eundem inter manuscripta astrologica hujus bibliothecæ vidi. Nec recentioribus inauditum est temporibus, libros eorum nomine, quibus dedicantur, signari. Sic WASMUTHI TABULÆ CHRISTINIANÆ, GOMESI PEREIREÆ Medici Hispani, ANTONIANA MARGARITHA, & alia hoc nomine celebrantur. Simili plane modo olim libris nomen autoris impositum est, sic Alfragani elementa chronologica & astronomica dicuntur ALFRAGANUS, interprete teste Hebræo. p. 1. edit. Christmanni Francof. 1590. 8vo. Plures extitisse Rases vel Rhazes, tam medicos quam philosophos ex HERBELOTII Lexico orientali, Nicolai ANTONII Bibliotheca veteri Hispana, nec minus ex Catalogo Manuscriptorum Angliae & Hibernia, Oxonii edito, patet. Arabice cum Rases scriplerit nostra exemplaria translata esse novimus. Interpretes librorum Rasis, qui lucem adspexerunt fuere Gerhardus TOLETANUS, sub Gerhardi Cremonensis aut potius Carmonenensis nomine notus, Andreas VESALIUS, Albanus TORINUS, Georgius VALLA, Placentinus. Manuscripta eosdem interpretes habent;

bent; præcipue Gerhardus Cremonensis libri Almansoris interpres, ubique in horum catalogis celebratur. His adjungam Platonem Tiburtinum, qui non minus operam suam ad versionem Almansoris contulit. Non licuit, manuscriptum comparare cum impressis, quorum nullum adhibita licet omni cura reperire potui. Sæpius inter medicorum scripta in lucem edita reperiuntur, qua re vera rara vel rarioꝝ sunt, de quibus catalogi librorum riorum aut scripta ejusdem argumenti plane silent; hac de re in meum usum catalogum librorum ad studium medicinæ pertinentium rarius obviorum compilavi, adjectis causis raritatis. Si tempus & lectorum benevolia voluntas annuent, eum typis olim mandabo. Nec inconsultum foret, catalogum omnium manscriptorum medici argumenti colligere, ac bibliothecas ubi ejusmodi thesauri latent, indicare. Tale opus diu jam desideratum de theologicis suis sit **SPIZELIUS**. De medicis manuscriptis agere fibi proposuerat Georgius Hieron. **WELSCHIUS** sed fato intercessus. Doctissimus **KNIPHOFF** nonnulla in programmate de manuscriptis præcipue medicis generatim commentatus est, Erfordiæ, 1745.

De reliquis Rasis operibus sive latine editis, sive Arabice scriptis in fine dicemus. Arabica lingua Rasi fuit vernacula, ideo codicibus libri Almansoris in hac lingua scriptis primus cedendus est locus. Unum solum arabice scriptum exemplar totius hujus libri reperi valui, in manscriptorum & bibliothecarum catalogis, quorum haud paucos sæpius operam ludens investigavi. Extat hoc in Bodleiana Bibliotheca. vid. Catal. manuscript. Angliae & Hiberniae, Oxonii, 1697. in fol. p. 169. n. 3768. *Rasis liber medicus dictus Almanfuri. Arab.* Ex hoc catalogo intelligi potest Angliae & Hiberniae bibliothecas manscriptorum copia cum ceteris omnibus de

principatu contendere, quas hac de re vcheimenter jam laudavit **S C A L I G E R** in excerptis suis. Plura adhuc quam in catalogo recensentur superesse, docet præfationis autor. *Eoque successu res processit, ut manuscriptorum tituli quasi triginta millium in hoc catalogo nostro compareant.* Nec tamen ita rem exhaustum puto, quin alia adhuc triginta millia habeantur in *Anglia*, quæ in catalogis hisce non memorantur. Dolendum autem, quod ætatis, materiae in qua scriptum est, an bona notæ sint, & sæpius formæ, nullam mentionem fecerint, autores catalogi alias utilissimi; horum neglectu manuscriptis haud parum detrahitur. In bibliotheca Narcissi *Marsh* episcopi Dublinensis vid. catal. cit. pag. 61. n. 1714. & p. 63. 1823. secunda & nona pars libri Almansoris, separatim hac sub rubrica reperiuntur, utraque Arabice scripta: *Liber secundus Razis ad Almansorem Arab.* in fol. & *Liber nonus Razis ad Almansorem cum commentariis Ebraicis Arab.* in 4to. Instructissimæ bibliothecæ latini codicibus libri Almansoris vix carent, ex hoc ejus fama & usus intelligi possunt, cum toties translatum & exscriptum offendamus. Inter codices collegii Mertonensis, quod Oxonii floret. l. c. pag. 21. n. 694. legimus. *Rasis Almansorii libri decem,* & n. 695. *Rasis Almansorius.* Codices Collegii Oxoniensis a Christi corpore vocati, l. c. p. 51. n. 1568. alium inter se habent, qui alias non obvio interprete conversus est: *Almansor translatus ex Arabico in latinum a Platone Tiburtino.* Cantabrigiæ, in collegii Cajo-Gonvillensis thesauro asservatur p. 115 l. c. n. 961. Nonus liber Almanzoris de re medicinali inter omnes libros medicinales maxime compendiosus. Ibidem domus S. Petri inter codices l. c. p. 153. n. 1871. non minus hoc gaudet, ecce titulum: *Liber qui dicitur Almansor a M. Giraldo apud Toletum ex Arab. in Lat. translatus.* In bibliotheca Ecclesiæ Westmonasteriensis p. 28. n. 1240. *Almanzor lat.* In bibliotheca Norfolciana Gresham-

men-

mensis collegi l. c. 76. n. 3013. *Almansoris medica varia, ex arabico in latinum conversa a Giraldo Cremonensi.* In bibliotheca Franc. BERNARDI Med. D. olim Coll. Lond. Soc. l. c. p. 90. n. 3633. *Abubecri tractatus distus Almansorius.* Inter codices bibliothecæ ecclesie cathedralis apud Wigorniam l. c. p. 22. n. 904. *Abubecri Razi filii Zachariae liber*, qui vocatur *Almansor*, eo quod regis Mansoris filii Isaac precepto editus sit. Angliae & Hiberniae bibliothecas, excipiant Germanicæ. In bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis catalogo, cuius copiam fecit Fellerus, p. 250. n. 9. edit. Lips. 1686. 12mo. legimus. *Abubezi Rafis filii Zachariae Liber Almansor a Gerardo Cremonensi ex Arabico in latinum translatu*s, & pag. 280. n. 38. *Almansoris libri X. medicinales iterum occurru*nt. Utrique codices sunt membranacei. Patet hoc ex prima editione catalogi Felleriani Lips. 1676. 4to. Cur de materia, qua scripti sunt codices, in secunda & locupletata editione autor nihil indicaverit, plane ignoro. Seculi in utrisque deficit mentio. In eodem catalogo edit. ult. p. 250. n. 8. *Abuboca filii Zachariae Mansorius seu liber pro rege Mansore Isaaci filio scriptus de anatomia*: testante catalogi prima editione in membrana. Ex titulo colligi posset alium adhuc supereesse librum Mansoris a nostro diversum. Nisi autem opinio me fallit, prima pars libri Almansoris titulo comprehenditur, de alia anatomia Rafis nihil innotuit. Idem sentiendum de manuscripto Bibliothecæ Bodleianæ hujus tituli: *Chirurgia Almansoris*. vid. catal. libr. manuscript. Engl. & Hib. p. 169. n. 3504. Nam septima parte libri Almansoris Chirurgiam pertractavit. Libros quoque Almansoris singulatim inter manuscripta reperiri, nemo mirabitur cum quædam sigillatim typis expressæ sunt. vid. pag. 19. & 20. In bibliothecæ Augustanæ catalogo edit. 1633. in fol. p. 347. n. LXXIV. lib. Ms. in pergamenta hunc titulum sustinet: *Mansorius continens*

continens compendium quoddam medicinæ practicæ, Abubecri titulum præferens. Titulus obscurus est, forsan solum pars IX. hoc titulo comprehenditur. Ex indice manuscriptorum bibliothecæ monasterii Dunensis in Flandria ordinis Cistert. quem tradidit Antonius SANDERUS in bibliotheca belgica manuscripta, edita Insulis 1641. T. I. p. 193. *M. Albubeth medici regis Almazzoris liber inscriptus Almazzorius.* SANDERUS ibid. Tom. II. p. 225. Anatomia Rasis mentionem facit, de hac autem idem valet, quod supra de manuscripto Lipsiensi sub eodem titulo monui. Sed satis de his.

Ceterum totum opus absolvitur sexaginta foliis in quibus, utraque pagina duabus columnis distinguitur. In calce libri scriptor, more temporis solito, nomen in versiculo patefecit: nam legimus

Patri natoque sit flanti laus ab utroque.

Mater virgo quæ sit benedicta quoque

Paulo inferius

Scripsit tot penfis, hæc Petrus Caciensis.

Quis Petrus hic Caciensis fuerit me fugit. Res quidem postularet, ut cetera codicis contenta disquirerem. Ne autem fines primi speciminis egrediar, finem scribendi faciam. Præcipue cum Rasis scripta maximam Codicis partem occupant, ejus vero librorum editorum mihi haetenus nulla fuit copia. His imperatis, recensione sequentium nihil mihi dulcius esse potest. Maximus enim usus manuscriptorum ex collatione cum libris typis evulgatis liquet. Si itaque bonarum artium præcipue medicarum Amplificator, opera Rasis exquisitoria, Basileæ 1544. edita, e librorum adparatu benevole suppeditare vellet, mirabiliter me & conatum meorum fautores voluprate perfunderet.

B E R O L I N I,
TYPIS, CHRISTIANI FRIDERICI HENNINGII.

Aa 306

VDA

ULB Halle
001 529 080

3



sb

2. 05





ROL. VILELM. MOEHSEN,
ACT. ET GYMN. REG. JOACH. M. O.
**ATIO EPISTOLICA
R I M A
USCRIPTIS MEDICIS,
ODICES BIBLIOTHECÆ REGIÆ
OLINENSIS SERVANTUR.**

DATA AD
**V I R U M
EMET EXPERIENTISSIMUM
OPHORUM HORCH,**
BORUSS. REGIS CONSIL. INTIM. ET ARCHIATRUM,
SUPREMI SEN. COLEG. SANITAT. ET ACAD.
NAT. CUR. SODALEM.
E V. NOVEMB. M D C C X L V I .



B E R O L I N I ,
UD AMBROSIUM HAUDE,
LAM REGIS ET SCIENT. ACADEMIE.